



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 27. Poli Cardinalis responsum ad hosce articulos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolver.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

**Sæcul. XVI** tur, hinc putabat Rex, quod publicæ  
**A.C. 1554.** quietis gratia, ac pro regni tranquillitate magis expediat, ut a Pontifice potestas Legato tribueretur nullis limitibus circumscripta, qua omnibus reis veniam indulgere posset: si vero jam Legatus censeret, eam facultatem sibi absque dubio concessum iri, liceret ipsi profectione illam prævertere; sin autem obtineri dubitaret, satius esset eam operiri.

### §. XXVII.

#### *Poli Cardinalis responsum ad hosce articulos.*

*Pallav. l. c.  
n. 6. & 7.*

**A**d hosce articulos mox Cardinalis respondit, & quidem ad primum dixit: *Tametsi diuturna mora postulasset saltem, ut mea existimatio resarciretur amplissima quavis honoris significatione in primo meo accessu: nihilominus ut me pice Pontificis voluntati conformem, optantis, ut hujus regni saluti, quam facillima posset ratione, consuleretur, satis mihi erit ingressus aliquanto minus splendidus, quam deberetur; tres quippe personas gero, scilicet I. privatam mei ipsius II. Pontificii Oratoris III. maxime spectabilem Apostolici Legati Personam sustineo, proinde haud recusabo ingredi secunda persona contentus, omessa tertia. Ad alterum reposuit: semper in animo habui, nihil agere Rege, ac Regina incon-*

inconsultis, & hanc esse pariter Pontificis Sæcul. XVI.  
mentem, satis compertum habeo: ad postre- A.C. 1554.  
mum dixit: præter eas peculiares faculta-  
tes mihi a Julio concessas, penes me Pon-  
tificium habeo Diploma, quo mihi concedi-  
tur generatim, ut agam, quidquid anima-  
rum saluti conducturum putaverim, idque  
se ratum habiturum Pontificio nomine Ju-  
lius pollicetur. Hoc diplomate gavisus  
admodum est regius Nuntius, ejus-  
que exemplum Philippo communican-  
dum petiit, affirmans, quod tunc, si id  
prius innotuisset Regi, leviores, bre-  
vioresque difficultates obstitissent.

### §. XXVIII.

#### *Julii III. Pontificis diploma ad Car- dinalem Polum.*

Enimvero summus Pontifex jamjam Raynold  
die decima Julii paulo ante nuptias hoc ann. n. 8.  
inter Philippum, & Mariam celebra-  
tas quoddam diploma transmiserat his  
conceptum verbis: *Dilecto Filio nostro  
salutem, & Benedictionem. Superioribus  
Mensibus oblata nobis spe per Dei miseri-  
cordiam, & charissimæ in Christo filiæ no-  
stræ Mariæ Anglice Reginæ summam Reli-  
gionem, & pietatem Nobilissimi illius An-  
glie Regni, quod jam diu quorumdam im-  
pietate a reliquo Catholicæ Ecclesiæ Cor-  
pore avulsum fuit, ad ejusdem Catholicæ,  
atque universalis Ecclesiæ unionem, extra  
quam*